

super ad determinatam partem capitalis, quod non est dicendum, adeoque, etc. Tum quia, si capitale perit, perit ipsi conferenti, ergo si remanet, eidem remanere debet. Unde Cabassutius, *Juris canonici theor. et prax.*, lib. vi, cap. 13, num. 7, sic concludit: « His adde, Sixtum V, in Extravagante: *Detestabilis avaritiæ*, ita sentire, sortem, finita societate, tradendam esse illi qui eam contulit, si exstat. »

(43. Si finita et dissoluta societate, nullum sit lucrum, adhuc totum capitale est restituendum ei qui illud contulit. Et si capitale perierit, totum ipsi conferenti perit. Sic contra paucos fere communis doctorum, et signanter Cabassutius, *loco cit.*, num. 3, ubi inter alia requisita ad justam societatem, hoc quartum enumerat sic expresse dicens: « Quarto, ut singuli subeant damna, et expensas pro rata quoque eorum quæ ex parte sua contulerunt, atque seorsim totam incurrant jacturam eorum quæ in sortem contulerunt, ut qui pecuniam contulit, totum pecuniæ suæ periculum subeat, si absque socii culpa levi aut lata pereat; si vero salva pecunia nihil obveniat lucri, socius alter, qui suum laborem vel industriam, contulit, subeat solus jacturam industriæ seu laboris; pecunia vero tota ad eos redeat, qui eam contulerunt. » Et infra, num. 7, concludit: « Si pecunia pereat, perire illi debet, qui eam contulit, ergo si supersit, eidem tradenda est, ut qui sentit onus, sentiat quoque commodum. Cap. *Qui sentit onus* 55, De reg. juris, et secundum naturam est, commodum cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. » L. *Secundum naturam* 10, ff. *De regul. juris*.

(44. Finita et dissoluta societate, si pro ipsa nihil expresse determinet jus, et nulla inter contrahentes præcesserit justa pactio, divisio est facienda juxta probatam consuetudinem cujusque loci, seu regionis, quia quando nihil conventum est in contractibus, et jura nihil determinate præscribunt, id actum præsumitur, quod consuetum est. L. *Quod si nolit* 31, § 20, ff. *De ædilitio edicto*, l. *Si prius* 17, § 1, ff. *De aqua et aquæ pluvie arcendæ*. Et hoc cum omnimodo fundamento, cum consuetudo sit jus non scriptum, seu jus quoddam moribus utentium comprobatum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex, textu expresso in cap. *Consuetudo* 6, dist. 1, ibi: « Consuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. »

(45. Advertendum est circa dicta de contractu vulgo trium contractuum, quod Benedictus XIV, *De synodo diocesana*, lib. iv, cap. 50, asserit, disputari adhuc, an revera fuerit a Sixto V peculiari constitutione super illo edita, prohibitus talis contractus, et erudite allatis, et scite suo more ponderatis utriusque sententiæ rationibus, recte concludit, quod episcopi in synodo a definitionibus super eo abstinere debent, sed subditos suos ab illo, utpote periculoso, dehortari. Vide ipsum *ibi*, ubi plurima egregie tradit ad rem scitu dignissima, et Ro-

signolum, *loco a nobis cit. supra*, sub num. 10, ubi sub num. 5, utramque sententiam recte conciliat.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(46. Tria hic addere libet. Primum est, quod societas jus quodammodo fraternitatis complecti dicitur. L. 63, ff. *Prin.*, ff. *Pro socio*. Hinc autem varia deduxerunt Romani jurisconsulti. (47. Nam infamiam minantur socio illi, qui perfide agit: L. 6, ff. *De his qui notantur infamia*. (48. Beneficium competentiam inter socios locum habere statuunt, qualiscunque fuerit societas. L. 22, § 1, l. 63, ff. *Pro socio*. (49. Nec obstat lex 16, ff. *De re judicat.*, quam corruptam esse docet Noodt, in *Commentar. ad digest.*, tit. cit. *Pro socio*. (50. In rationibus reddendis multum fidei, et jurejurando ejus qui administravit, relinquunt, ubi de majori quantitate non est sermo. Confer Leyser., spec. 184, num. 9.

(51. Alterum est, quod non aliter socius ex contractu alterius acquirit et obligatur, quam si nomine societatis tanquam institor, et secundum normam præscriptam seu voluntatem sociorum contraxit. L. 4, § 1, ff. *De exercit. act.*, si in communem arcam pecuniæ versæ sint. L. 8, ff. *Pro socio*. Alias si socius proprio nomine contraxit, reliquis jus agendi contra tertium non nascitur, nec reliqui obligantur. L. 13, c. *Si cert. petat.*; adi Lauterbeck., *De oblig. socior. que oritur ex conventionione cum extraneo inita*.

(52. Tertium demum est, quod *contractus trinus* fuit approbatus a Rota, in *Lucana pecuniaria* 21 Januarii 1744, § 3, cor. em. *Bussio*, ibi: « Cum enim hujusmodi persolutio et immissio pecuniarum in negotium, sit contractus in dicta civitate usitatus, et nuncupetur depositum mercantile continens trinum contractum, nempe societatis, assecurationis capitalis, et conventionis fructuum, ex quo honestum, et limitatum lucrum retrahi valet, etc., utique fractus exacti a canonico in dicta quantitate scutorum 557, 12, reputandi amplius non erunt illicitæ usuræ provenientes ex credito mere pecuniario, sed legitimæ obventiones conventæ in dicto novo contractu, innovativo præcedentis crediti fructiferi, quæ justo titulo exigi non poterant absque ullo onere et obligatione restitutionis. »

(53. Quinimo tradit supremum tribunal in mox allegata decisione, quando initus dici queat *trinus* hic contractus, ut ex § 4, et plur. seq. * De societate videndus egregius tractatus nuper editus a doctissimo avvocato Zanchio, qui fuse de hac re agit. *

* Additiones novæ.

(54. Contractum trinum cum socio aut sociis initum damnant Antoine in tractatu *De contractibus*, cap. 8, quæst. 2; Cuniliati, tract. 10, *De 7 Decal. præcepto*, cap. 5, § 2; Colet in continuatione *Prælectionum theologiarum*; Honoratus Tournely, in tract. *De contractibus*, part. ii, cap. 4, concl. 1, et

alii, quos recensere longum esset. Confer Petrum Ballerinum, in Appendice ad opus ab eodem editum hoc titulo: *De jure divino et naturali circa usuram*, Bononiæ 1748, opuscul. 2, cap. 3. Præ omnibus autem legendus est Daniel Concina, in opere, quod inscribitur *Usura contractus trini dissertationibus historico-theologicis demonstrata*, Romæ 1746. Hic enim non modo omni argumentorum genere contractum istum usurarium esse pugnat, sed etiam singula, quæ ab ejus patronis, atque adeo a Lucio nostro a num. 7 ad 11, pro eodem ab usuræ labe purgando afferuntur, copiose et accurate refellit, objectaque a sacræ Romanæ Rotæ decisionibus, præsertim in *Lucana pecuniaria*, ad quam decisionem *Additionum* auctor num. 52 et seq. provocat, petita diluit.

(55. De societate autem animalium, de

SOCIETAS INTER FRATRES.

SUMMARIUM.

1. Fratres, defunctis parentibus, possunt inire inter se contractum societatis. — 2. Per hoc tamen, quod fratres habeant hæreditatem seu patrimonium indivisum, et de communi mensa vivant, non censentur strictam et rigorosam societatem omnium bonorum iniisse. — 3. Hinc frater habens hæreditatem et patrimonium indivisum cum aliis fratribus, non tenetur per hoc communicare ipsis lucrum a se acquisitum ex publico alicujus officii administratione. — 4. Item non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum acquisitum per negotiationem nomine proprio factam, quamvis cum hæreditaria communi pecunia; dummodo ratione talis negotiationis non deficiat operibus debitis communioni et indivisioni fraternæ. — 5. Intelligit tamen dummodo talis frater non fuerit tutor aut curator aliorum fratrum. — 6. Lucrum autem acquisitum per negotiationem nomine communi factam, est aliis communicandum. — 7. Fratres viventes ex communi mensa post obitum patris, inita societate, non repetent quæ contulerunt ad communem victum. — 8. Posset autem frater, qui plus contulit, illud repetere, si non fuit prius inita societas. — 9. Excipe tamen, nisi alii fratres fuerint pupilli, amentes aut furiosi. — 10. Frater, qui, inita societate, dotavit de propriis bonis sororem, potest ab aliis fratribus compensationem repetere. — 11. Frater non habens expressam societatem omnium bonorum cum aliis fratribus, si ex bonis communibus filiam suam dotet, debet in divisione eam dotem in suam partem computare. — 12. Secus autem si habuerit dictam expressam societatem omnium bonorum. — 13. Frater habens præ aliis filios laborantes in utilitatem communionis fraternæ, si non inierit cum aliis dictam expressam societatem omnium bonorum, potest exigere compensationem proportionatam dictis laboribus. Et sic frater non habens filios potest exigere ab habente filios illud plus, quod in ipsis alendis fuit consumptum, nisi tamen aliter sit conventum, aut aliud ferat legitima consuetudo. — 14. Secus autem si dicti fratres inierint inter se expressam rigorosam societatem omnium bonorum. — 15. Frater habens uxorem lucra acquirentem ex aliqua peculiari arte aut professione, si ipsa uxor tenebat lucrum separatum, aut conjectari possit, quod noluerit societatem contrahere, non tenetur illud in divisione aliis fratribus communicare, compensato tamen defectu uxoris in aliis operibus domesticis propter exercitium talis artis aut professionis. — 16. Sic a fortiori non te-

qua Ferraris num. 11, juvat hic referre, quæ S. Carolus Borromæus in concilio *Mediolanensi provinciali* anno 1565. Actor, part. ii, cap. *De usuris* decrevit. Sunt autem hujusmodi: « In societate animalium, quæ inestimata alicui dantur ad custodiam, sive ut operas præstet, omnes casus, etiam fortuiti, semper sint periculo ejus qui dederit, nisi id alterius socii dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit. Nec fiat pactum, ut sors sit semper salva, etiam ex primis fetibus. Neve quidpiam certum, præter sortem, ex fructibus animalium quotannis solvatur. Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, si illa absque dolo aut negligentia ejus, qui conduxit, deteriora fiant, id semper sit damno ejus qui locarit. Si autem animalia dentur æstimata, ita ut sors danti salva sit, nihil omnino percipi possit. »

netur frater communicare lucra acquisita ex nonis paraphernalibus suæ uxoris, si ipsa uxor sibi expresse reservaverit talia lucra, aut conjectari possit, quod noluerit communicare. — 17. Secus autem si ipsa uxor, et suus vir cum ejusdem fratribus iniissent expressam societatem omnium bonorum. — 18. Ratione enim hujusmodi rigorosæ societatis communicari debent quæcunque ex qualibet causa acquisita. — 19. Nec obstat, quod in tali societate bona unius fratris sint multo plura bonis alterius. — 20. Ast debet adverti, quod non intelligitur id, quod ex opere, artificio, industria vel cura, et diligentia cujusque provenit. — 23. Unde ratione societatis simpliciter contractæ non communicatur hæreditas, legatum, vel id quod est donatum. — 24. Tenetur autem frater ratione societatis simpliciter contractæ communicare thesaurum inventum, sive in suo communi fundo, sive in alieno. — 25. Socius vero non frater, sed extraneus, ratione talis societatis tenetur communicare aliis sociis solum thesaurum repertum in fundo alieno, et non repertum in suo. — 26. Semper autem esset communicandus cum aliis sociis sive fratribus, sive extraneis talis ubicunque repertus thesaurus, si inter ipsos fuisset inita rigorosa societas omnium bonorum. — 27. Debitum contractum ab uno fratrum post obitum patris, est de communi solvendum, si conversum fuerit in communem utilitatem. — 28. Secus autem si conversum fuerit in solum privatum commodum contrahentis. — 29. In contentione in quem usum fuerit debitum conversum, onus probandi spectat ad illum, qui tale debitum contraxit: qui si non probet fuisse conversum in communem utilitatem, debet solvere de proprio. — 30. Et mortuo fratre, qui debitum contraxit, onus probandi fuisse tale debitum conversum in communem utilitatem spectat ad creditorem. — 31. Delictum, seu maleficium unius fratris socii omnium bonorum non nocet aliis fratribus. — 32. Præscindendo a societate, fratres in divisione hæreditatis paternæ et maternæ afferre debent ad partitionem communem, quæ ab ipsis viventibus acceperunt: dummodo ipsis expresse, vel tacite per conjecturas non præsumantur donata seu condonata. — 33. Primo igitur debet frater adducere et computare in suam partem, pecuniam, quam

pater consumpsit pro studiis ipsius, si pater apud se habebat ipsius filii bona castrensia, aut quasi castrensia. Secus autem si non habebat. — 34. Secundo, debet frater adducere libros, quos pater vivens ipsi tradidit pro studio, si sint considerabilis quantitatis et valoris; secus autem si tales libri essent modicæ quantitatis et pauci valoris. — 35. Et sic est dicendum de pecunia ei tradita a patre pro emendis libris, quam si in magna quantitate insumpsit in ludos aut meretrices, tenetur computare in suam partem; secus autem si in modica quantitate. — 36. In omni tamen casu, quo libri adducendi sint, et computandi, computari debent secundum solum valorem præsentem tempore divisionis. — 37. Tertio, debet frater adducere, quæ de bonis communibus post mortem patris insumpsit in prosecutione studii incepti ante mortem patris. — 38. Quarto, debet frater adducere expensas factas in assequenda post mortem patris laurea doctoratus. — 39. Non sunt autem computandæ expensæ factæ ab ipsomet patre pro obtinendo doctoratu, dignitate vel beneficio filio, nisi aliter constet tacite vel expresse de sua voluntate. — 40. Sunt tamen computandæ expensæ factæ a patre pro obtinendis filio aliis officiis, quæ vendi et transmitti possunt ad hæredes et posteros. — 41. Quinto, conferre debet frater secundum valorem præsentem vestes, torques, et alia ornamenta a patre tradita ipsius uxori, si adhuc exstant, et sint pretiosa, et non sint necessaria ad quotidianum usum. — 42. Secus autem si non amplius exstant, nec sint pretiosa et sint necessaria ad quotidianum usum. — 43. Nec tenetur ea conferre, quamvis sint pretiosa, quoties constat patrem ea nurui donasse. — 44. Sexto, conferre debet frater munera, arrhas et alias sponsa-

(1. Fratres, defunctis parentibus, possunt inire inter se strictum et rigorosum contractum societatis, ita ut omnia lucra et damna fiant communia. *Communis.* « Contractus enim ex conventionione legem accipere dignoscuntur, » textu expresso in cap. *Contractus* 83, De regulis juris in 6, et in l. *Contractus* 23, ff. *De regul. juris*, ibi: « Nam hoc servabitur, quod initio convenit: legem enim contractus dedit. »

(2. Per hoc tamen, quod fratres habeant hæreditatem seu patrimonium indivisum, et de communi mensa vivant, non censentur talem strictam et rigorosam societatem inisse. L. *Cum duobus* 52, § 6, ff. *Pro socio*; l. *Ex parte* 39, § 3, ff. *Familia erciscunda* cum similibus; Bartolus, in l. *Si patronus* 4, cod. *Communiam utriusque iudicii*; Azorius, part. III, lib. IX, cap. 59; Filiucius, tract. 38, cap. 6, quæst. 6, num. 145; Silvester, verb. *Peculium* 2, qu. 4; Bonacin., *De contractibus*, disp. 3, quæst. 6, punct. 7, num. 2; Rosignol, *De societate*, contract. 7, prænot. 37, num. 1, et alii passim; et ratio est quia ad contrahendam strictam et rigorosam societatem, qua omnia lucra et damna communia fiant, requiruntur verba, aut signa aperte indicantia talem contractum societatis, cum de natura talis strictæ et rigorosæ societatis requiratur, quod sit conventio duorum vel plurium aliquid pretio æstimabile conferentium pro negotiatione aliqua honesta ad commune lucrum pro portione rerum contributarum inter socios dividendum. L. *Societatem* 4, l. *Societate* 5, l. *Si societatem* 6, ff. *Pro socio*, et institut. tit. 26 *De societate*, adeoque, etc.

litias donationes a patre factas propter suas nuptias. — 45. Filius volens succedere patri licet non teneatur conferre, quæ ab ipso valide accepit donatione simplici ei facta ex mera liberalitate, teneatur tamen conferre quæ ab ipso accepit donatione, non ex mera liberalitate, sed ob causam, etc. — 46. Non sunt tamen computandæ in divisione expensæ factæ a patre occasione convivii nuptialis, celebrationis primi sacri, ingressus et professionis religiosæ, vel promotionis ad doctoratum, aut ad aliquam dignitatem, si filius non habebat bona propria. — 47. Nec tenetur frater computare, quæ pater illi dedit præ aliis ad cibum, vestitum et equitatum. — 48. Nec tenetur conferre, quæ a patre vivente accepit ob merita extraordinariorum obsequiorum, dummodo accepta non excedant merita. — 49. Septimo, conferre debet frater, quæ pater insumpsit in ipsius liberatione a captivitate, a carcere aut a pœna ipsi pro delicto debita, si pater declaraverit esse computanda in divisione; si autem declaraverit non esse computanda, aut non expresse rit, an vellet computari, non sunt computanda. — 50. Octavo, conferre debet bona profectitia. — 51. Non tamen bona castrensia, aut quasi castrensia. — 52. Nec bona adventitia. — 53. Nono, conferre debet frater, quæ accepit a patre titulo patrimonii ad sacros ordines, vel ad nuptias contrahendas. — 54. Non tenetur tamen conferre, si nolit succedere patri in hæreditate. — 55. Decimo, conferre debet frater expensas factas a patre ad ejus bona adventitia augenda ad perpetuam notabilem utilitatem, si constat quod pater ea fecerit animo repetendi. Et quid, si dubitetur de tali animo? — 56. Sic econtra si pater notabiliter dilapidaverit bona adventitia unius filii, tenentur alii in divisione compensare.

(3. Hinc frater habens hæreditatem seu patrimonium indivisum cum aliis fratribus, non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum a se acquisitum ex publico alicujus officii administratione, quia, nisi aliter sit expresse conventum, divisio hæreditatis seu patrimonii, et consequenter societas ex ipsa indivisione proveniens inter fratres se extendit solum ad bona hæreditaria, et ad lucra ex illis provenientia, non vero ad alia bona et lucra aliunde fratribus obvenientia, uti sunt bona acquisita donatione, hæreditate, dignitate, officio seu industria non debita tali fraternæ societati seu divisioni. L. *Cum duobus* 52, § 6, ff. *Pro socio*, l. *Cui muneris* 12, ff. *De muneribus et honoribus*, cum similibus; Azorius, cit. cap. 19, qu. 4; Filiucius, loc. cit., num. 136; Silvester, loc. cit., qu. 20; Bonacin., loc. cit., num. 2; Rosignol, loc. cit., num. 4, et alii.

(4. Item frater habens hæreditatem indivisam cum aliis fratribus, non tenetur per hoc communicare aliis fratribus lucrum acquisitum per negotiationem nomine proprio factam, quamvis cum hæreditaria communi pecunia; dummodo ratione talis negotiationis non deficiat operibus debitis communioni et indivisioni fraternæ, quia tunc esset communicandum aliis fratribus pro parte correspondente operibus debitis tali communioni et indivisioni fraternæ. L. *Qui aliena* 8, cod. *Si quis alteri vel sibi*, l. *Si patruus* 4, cod. *Communiam utriusque iudicii*, l. *Titium et Mævium* 47, § 6, ff. *De administrat. tutor.*, cum similibus; Bald., in l. *Si pecunia* 1, cod. *Si quis alteri vel sibi*; Sil-

vester, loc. cit., qu. 17 et 18; Rosignol, loc. cit., num. 17 et 19, et alii.

(5. Intellige tamen dummodo dictus frater non fuerit tutor aut curator aliorum fratrum, quia tunc lucrum acquisitum per negotiationem cum communi hæreditaria pecunia factam, licet nomine proprio, et non communi, est communicandum aliis fratribus. L. *Si tutor vel curator* 2, ff. *Quando ex facto tutoris vel curatoris*; Silvester, loc. cit., quæst. 18; Baldus, in l. *Si pecunia* 1, cod. *Si quis alteri vel sibi*, et in l. *Si ut proponis* 8, cod. *De rei vindic.*, et alii.

(6. Lucrum acquisitum ab uno ex fratribus per negotiationem factam cum communi hæreditaria pecunia nomine communi, debet etiam communicari aliis fratribus. *Communis.* Et ratio clara est, quia quod fit de communi, et nomine communi, est commune.

(7. Commanentibus simul pluribus fratribus post obitum patris, si unus de suis bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, aut aliunde suis aliquid in communem victum impenderit, non potest illud repetere, si inter ipsos fuerit prius inita societas ad communem victum. Baldus, in l. *Cum duobus* 52, ff. *Pro socio*; Silvester, loc. cit., quæst. 22; Azorius, cit. cap. 19, vers. *Sexto quid dicendum*; Rosignol, loc. cit., num. 4, et alii. Et ratio est quia, stante tali societate, non habetur consideratio ad illud plus ab ipso fratre in communi victu impensum, cum societatis jure intelligatur consumptum, cap. *Si duo fratres*, tit. 12, lib. II. *Feudorum*. Tum quia cum illud plus impenderit in illis usibus, ad quos inita est societas, præsumitur illud donasse, nisi aliter se expresserit, adeoque non potest illud repetere.

(8. Posset autem dictus frater illud plus repetere, si non fuerit prius inita societas cum aliis fratribus; sic citati doctores, et alii. Et ratio est quia nullo jure, nec titulo naturalis pietatis obligatur unus frater ad alendos alios fratres de suo, quando isti, ut in hoc casu supponitur, habent ex bonis communibus quantum sufficit ad suam honestam sustentationem, adeoque potest illud plus impensum repetere. L. *Nesennius* 34, ff. *De negotiis gestis*.

(9. Excipe tamen, nisi alii fratres fuerint pupilli, amentes aut furiosi, quia in tali casu, quamvis non fuerit inter ipsos inita societas, non posset dictus frater illud plus impensum repetere, nisi ante impensionem protestatus fuerit, se nolle illud plus gratis impendere seu donare. Sic doctores citati supra num. 7, et alii. Et ratio est quia, seclusa tali protestatione, illud plus impensum per dictum fratrem in communem victum fratrum pupillorum, amentium aut furiosorum præsumitur gratis datum, seu condonatum, adeoque illud repetere nequit. C. I. *Nesennius* 34, ff. *De negotiis gestis*.

(10. Frater, qui inita societate cum aliis fratribus, dotavit de propriis bonis castrensibus, vel quasi castrensibus sororem, quam etiam alii fratres dotare tenebantur, potest

pro rata ab aliis compensationem repetere. Bartolus, in lege, *Si patruus* 4, cod. *Communiam utriusque iudicii*; Azorius, loc. cit., cap. 19, qu. 5; Filiucius, tract. 38, cap. 7, n. 146; Bonacina, loc. cit., n. 8, et alii. Et ratio est quia talis frater utiliter gessit negotium aliorum fratrum, adeoque potest ab ipsis pro rata compensationem repetere.

(11. Frater habens cum aliis fratribus hæreditatem indivisam, et sic solum societatem simpliciter, et non expresse contractam societatem omnium bonorum, si ex bonis communibus filiam suam dotet, debet in divisione bonorum, eam dotem in suam partem computare. *Speculator*, in tit. *De iudic.*, § *Sequitur*, vers. *Quid si unus*; Bart., in l. *Si patruus* 4, cod. *Communiam utriusque iudicii*; Silvester, loc. cit., quæst. 20 cir. fin.; Azorius, loc. cit., cap. 19, vers. *Quin.*; Rosignol, loc. cit., disquis. 4, § 9, num. 4, cum aliis ibi citatis. Et ratio est quia, cum non est inita inter fratres expressa societas omnium bonorum, omnes expensæ factæ de hæreditate communi et indivisa in utilitatem unius duntaxat, debent ipsi soli imputari. Unde cum talis dos fuerit erogata in utilitatem duntaxat illius fratris, qui tanquam pater tenebatur dotare suam filiam de bonis propriis, si eam dotavit de communibus, tenetur eam in suam partem computare. Arg. l. *In hoc iudicium* 14, ff. *Communiam dividendo*, cum similibus.

(12. Si autem dictus frater nedum habuerit cum aliis fratribus hæreditatem indivisam, et solum societatem simpliciter, sed etiam expresse contraxerit cum ipsis rigorosam societatem omnium bonorum et debitorum, tunc talis dos est extrahenda ex bonis communibus absque eo quod teneatur postea ipsam in suam partem computare. Silvester, loc. cit., q. 23, cum Baldo ibi allegato; Azorius, loc. cit., c. 19, vers. *Nono quæritur*; Rosignol, loc. cit., prænot. 27, num. 6, et alii per text. in l. *Si socius pro filia* 81, ff. *Pro socio*. Et ratio est quia ratione hujusmodi societatis omnia bona, lucra, commoda, debita, damna et pericula fiunt communia fratribus sic sociatis. L. *Ea vero* 3, et l. *Cum duobus* 62, § 8, ff. *Pro socio*, adeoque unus frater debet alteri contribuere, ut filiam dotet, sive pro contrahendo matrimonio, sive pro ingredienda religione, et sic de similibus aliis expensis faciendis. Tum quia in hujusmodi societate talis censetur intervenire conventio; contractus autem ex conventionione legem accipere dignoscuntur, textu expresso in cap. *Contractus*, De regulis juris in 6, et l. *Contractus* 23, De regulis juris.

(13. Hinc frater habens præ aliis filios aptos ad laborem, et re ipsa laborantes in commodum et utilitatem communionis et indivisionis fraternæ, si non inierit cum aliis fratribus expressam societatem omnium bonorum, potest in divisione (nisi aliter sit conventum, aut aliud postulet legitima consuetudo) exigere stipendium proportionatum labori præstito a suis filiis, cum labor

sit pretio aestimabilis, et dignus sit operarius mercede sua. *Luc. x, 7; Matth. x, 10.* Et sic etiam frater non habens filios potest in divisione (nisi aliter sit conventum, aut aliud ferat legitima consuetudo), exigere a fratre habente filios illud plus, quod in ipsis alendis fuit consumptum. Navarrus, cap. 17, num. 161; Bartolus, Baldus, et alii apud Felcium, cap. 13, num. 91, et cap. 27, num. 64 et 71; Bonacina, *loc. cit.*, punct. 7, num. 7, cum aliis ibi allegatis. Et ratio clara est, quia sicuti habens filios laborantes in utilitatem communionis et indivisionis fraternae potest in divisione exigere stipendium proportionatum eorum labori, ita alter non habens filios potest in divisione exigere ab habente filios illud plus, quod in ipsis alendis fuit consumptum juxta dicta supra num. 11.

(14. Si vero dicti fratres inierint inter se expressam rigorosam societatem omnium bonorum et debitorum, nec habens filios laborantes posset in divisione exigere stipendium pro tali labore, nec alter carens filiis posset exigere sumptus factos in alendis filiis alterius fratris per dicta et jura adducta supra num. 12.

(15. Frater habens uxorem lucra acquirantem exercitio alicujus artis seu mercaturae, vel quia esset obstetrix aut chirurgica, etc., si ipsa uxor lucrum separatim tenebat, aut ex aliis conjectari posset, quod societatem contrahere volebat, non tenetur in divisione illud lucrum aliis fratribus communicare, sed ipsa uxor tenetur solum erogare viro, et aliis ejusdem fratribus tantum lucri, quantum secundum iudicium boni viri corresponderet operibus communibus et obsequialibus a mulieribus suae conditionis in domo fieri solitis, quibus ipsa propter exercendam talem artem aut professionem defecisset, quia cum ipsa teneatur talia officia et obsequia praestare ex vi sui status et conditionis, si non praestet ob acquirendum aliud lucrum, debet ex illo lucro illa compensare. Silvester, *loco cit.*, quaest. 32, cum aliis ibi allegatis; Rosignol., *loco cit.*, disquisit. 4, § 10, num. 2 et 3, et alii.

(16. Sic a fortiori non tenetur frater in divisione communicare aliis fratribus lucra acquisita ex bonis paraphernalibus seu extradotalibus suae uxoris, si ipsa uxor sibi expresse reservaverit talia lucra, aut ex aliis conjecturis appareat voluisse ipsa sibi reservare, et nullatenus aliis communicare. Nec obstat, quod dictus frater habens ex commissione suae uxoris administrationem talium bonorum paraphernalium, lucra inde provenientia insumpserit in communem utilitatem, quia per hoc non censetur, quod voluerit aliis fratribus communicare, sed donare, cum non sit verisimile, quod voluerit talia lucra auferre sibi et suis filiis, et dare alienis; unde si ipse insumpsit in utilitatem communionis fraternae, potest in divisione ea ab aliis fratribus exigere, quia quidquid solus expendit de suo in re communi (nisi aliud sit conventum, aut ex con-

jecturis constet) potest in ejus rei divisione repetere. *L. In hoc iudicium 14, ff. Communi dividendo.*

(17. Secus autem esset dicendum, si ipsa uxor et suus vir cum ejusdem fratribus iniissent expressam rigorosam societatem omnium bonorum, et dicta lucra acquisita ex suis artificiis vel ex suis bonis paraphernalibus fuissent insumpta in communem utilitatem dictae societatis; (18. quia ratione hujusmodi rigorosae societatis communicari debent quaecunque ex qualibet causa acquisita, videlicet ex labore, opera, industria, negotiatione, donatione, legato, haereditate. *L. Ea vero 3, ff. Pro socio.* Item quaecunque obveniunt ex bonis castrensibus vel quasi castrensibus. *Leg. Cum duobus 52, § 8, ff. Pro socio.* Et generatim omnia acquisita ex quolibet jure, titulo vel causa ac omnia debita contracta, damna et impensae. *Leg. Cum duobus 52, § 19, ff. Pro socio*, ibi: « Socium universa in societatem conferre debere, Neratius ait, si omnium bonorum socius sit; » et concordat *lex Ea vero 3, § 1, ff. eod.*, ibi: « Cum specialiter omnium bonorum societas coita est, et tunc haereditas, et legatum, et quod donatum est, aut quaque ratione acquisitum communioni acquiritur, » juncta *leg. Si societatem universarum fortunarum 73, ff. eod.* (19. Nec obstat, quod in tali societate bona unius fratris sint multo plura bonis alterius, quia, ut patet ex adductis iuribus, est proprium et peculiare hujus rigorosae societatis, quod omnia cunctorum sociorum bona communicentur. (20. Ast debet adverti, quod non intelligitur contracta haec rigorosa omnium bonorum societas, nisi fratres seu socii specialiter et expresse inter se voluntarie convenerint, quod sit omnium quorumcumque bonorum societas. *L. Ea vero 3, ff. Pro socio.*

(21. Nec dici potest societas omnium bonorum illa quae vocatur societas simpliciter, quia societas simpliciter, nisi inter fratres seu socios fuerit expresse conventum, quod sit omnium bonorum, intelligitur solum contracta, ut sit universorum, quae veniunt ex quaestu, hoc est si quid lucri ex emptione, venditione, locatione, conductione descendit, textu expresso in *l. Coiri societatem 7, ff. Pro socio.* (22. Pro quaestu autem intelligitur id, quod ex opera, artificio, industria vel cura, et diligentia cujusque provenit. *L. Quaestus 8, ff. Pro socio.* (23. Unde ratione societatis simpliciter contractae non communicatur haereditas, legatum vel si quid donatum est, quia haec veniunt ex charitate, liberalitate vel alia causa, et non ex quaestu. *L. Nec adjecit 9, ff. Pro socio.*

(24. Tenetur autem frater ratione societatis simpliciter contractae communicare cum aliis fratribus thesaurum inventum, sive in suo communi fundo sive in alieno, quia aliqua sua opera, industria, diligentia vel labore illum quaesivit, sicque talis thesaurus ex quaestu venire videtur. Argu-

ment. *cit. leg. Quaestus 8, digest. Pro socio.*

(25. Socius vero non frater seu extraneus tenetur ratione talis societatis simpliciter contractae communicare cum alteris sociis solummodo thesaurum repertum in fundo alieno propter adductam rationem; non tamen thesaurum repertum in suo fundo, agro vel domo, quia tunc perinde esset, ac si rem suam amissam invenisset, aut nesciens ubi esset, postea reperisset. Sic expresse Azorius, *loco cit.*, cap. 17, vers. *Octava*, et alii. (26. Semper autem esset communicandus cum aliis sociis sive fratribus, sive extraneis talis ubicunque repertus thesaurus, si inter ipsos fuisset iuxta rigorosa societas omnium bonorum, per dicta et jura adducta supra num. 18; juncta *l. Si societatem universarum fortunarum 73, ff. Pro socio.*

NOTE ROMANI THEOLOGI.

Ut scias dominium, quod inventores in thesaurum acquirunt, hanc ex P. Gabriele Antoine, *De just. et jure*, cap. 2, exhibere placuit doctrinam: jure naturali et gentium thesaurus totus est inventoris; nam quae nullius sunt, fiunt jure naturali et gentium primi occupantis. Thesaurus autem nullum habet dominum; nam definitur in jure: « Vetus quaedam depositio pecuniae, cujus non exstat memoria, ut jam dominum non habeat: » *L. 31, ff. De acquir. rer. dom.* Ubi per pecuniam intelliguntur quaevis opes mobiles, ut vasa, gemmae, annuli, catenae aureae, etc. Dicitur autem vetus depositio: nam si non sit vetus, non censetur thesaurus, sed res inventa, quae domino, et in ejus defectum, ejus haereditibus restitui debet: qui si cognosci nequeant, impendi debent in usus pios, quia sunt bona incerta: « Si quis autem vel lucri causa vel melius, vel custodiae, condiderit sub terra, non est thesaurus, cujus etiam furtum fit. » *L. Nunquam, ff. De acquir. rer. dom.*

Jure tamen civili communi obligante in conscientia, haec statuta sunt de thesauro. 1. Thesaurus totus est illius, qui eum in proprio fundo reperit; *inst. De rer. dom.* Si tamen arte magica ibi inventus sit, totus pertinet ad fiscum, saltem post sententiam iudicis. 2. Qui fortuito thesaurum in fundo alieno reperit, est dominus dimidii, alterum vero dimidium tenetur ante sententiam iudicis tradere domino speciali fundi, sive sit princeps, sive privatus, ex *inst. De rer. divis.*, quae dispositio non est poenalis, sed definitiva proprietatis rerum. 3. Thesaurus de industria quaesitus in fundo alieno sine consensu domini, totus est domini. *L. unica, cod. De thes.* Varii tamen putant inventorem non teneri ante sententiam iudicis tradere nisi dimidium, ob haec verba legis ex ea parte poenalis; « totum locorum domino reddere compellatur. » 4. Si thesaurus inveniat in platea, foro vel via publica, juxta multos dividi debet cum fisco, juxta alios totus est inventoris. In his vero sicut in aliis spectandae sunt speciales locorum leges, vel consue-

tudines, et servandae. Sic in Gallia thesaurus in alieno fundo repertus, in tres partes aequales dividi debet, quarum una sit inventoris, altera domini fundi, tertia dynastae, seu alterius justitiarum, vel regis, si solus in loco sit altus justitarius. Thesauri vero a domino fundi inventi media pars est inventoris, alia dynastae vel regis. Imo circa hoc variae sunt in variis provinciis consuetudines.

RESPONSIO AUCTORIS.

Circa dominium, quod inventores in thesaurum acquirunt, ultra ea, quae hic trado, ego alia quamplura tradidi jam in verb. *Dominium*, art. 3, a n. 26 ad 45, inclusive, ubi cum assistentia juris et doctorum assignavi, quando et quomodo ab inventoribus in thesaurum dominium acquiratur, et quando non. *Vide ibi multa ad rem.*

(27. Debitum contractum ab uno fratrum post obitum patris, est de communi solvendum, si conversum fuerit in communem fratrum utilitatem. *Communis*, per textum in *l. Omne es, 27, ff. Pro socio*, *l. Si hi 1, l. Quod si 3, ff. De in rem verso*, cum similibus. (28. Si autem tale contractum debitum conversum fuerit in solum privatam commodum contrahentis, non esset de communi solvendum. *Communis*, textu expresso in *l. Jure societatis 82, ff. Pro socio*, cum similibus, et facit *l. Non debet 74, ff. De regul. juris*, et cap. *Non debet 22, De regul. juris* in 6. (29. In contentione inter fratres in quem usum fuerit debitum conversum, onus probandi spectat ad illum, qui tale debitum contraxit: qui si non probet fuisse conversum in communem utilitatem, debet ex suo solvere, quia in tali contentione alii fratres sunt veluti rei in iudicio, et qui debitum contraxit, est actor: actori autem incumbit probare; quod si non probet, reus absolvitur. *L. Qui accusare 4, cod. De edendo*; *l. Actor 23, cod. De probation.*, *l. Ei 2, ff. De probat.* (30. Et mortuo fratre, qui contraxit debitum in contentione inter creditorem, et reliquos fratres debitores, onus probandi tale debitum fuisse conversum in communem ipsorum utilitatem spectat ad creditorem uti actorem, propter dicta et jura adducta numero antecedenti. Sic in universum Rosignol., *loco cit.*, disquisit. 4, § 7, cum aliis ibi allegatis.

(31. Delictum seu maleficium unius fratris socii omnium bonorum, non nocet aliis fratribus. *L. Cum duobus 52, § 2 et 28, Pro socio.* Unde si talis frater delinquens condemnatur propter delictum, seu maleficium ad poenam, solvere debet de suis et non de bonis societatis, textu expresso in *cit. § 18*, ibi: « Si ob maleficium suum, ipsum tantum damnum sentire debere. » Et ratio est, quia sicuti societas non est iuxta de lucris provenientibus ex culpa, ut ex furto, homicidio, adulterio, perjurio, *cit. l. Cum duobus 52, § 17*, et *l. Quod autem ex furto 53, ff. Pro socio*, ita